

J. Wang, version latine pré-agrégatifs, 2024-2025, S2
À rendre pour le lundi 17 mars (casier au DSA)

Version latine n°4 : la prophétie de Protée

*Au cours de la deuxième guerre punique, Hannibal arrive avec ses troupes en Campanie, effrayant les Naiades de la côte qui vont consulter le devin Protée. Celui-ci leur annonce la suite du conflit, non sans en rappeler les origines anciennes. Le texte commence alors que Vénus, entourée des Amours, se prépare à se rendre au jugement de Pâris.
Longueur LM : texte entre crochets droits. Longueur LC : intégralité.*

[[...] sic suspirans roseo Venus ore decoros
adloquitur natos : « Testis certissima uestrae
ecce dies pietatis adest. Quis credere saluis
hoc ausit uobis ? De forma atque ore (quid ultra
iam superest rerum ?) certat Venus ! Omnia paruis
si mea tela dedi blando medicata ueneno,
si uester, caelo ac terris qui foedera sancit,
stat supplex, cum uultis, auus ; uictoria nostra
Cypron Idumaeas referat de Pallade palmas,
de Iunone Paphos centum mihi fumet in aris. »
Dumque haec aligeris instat Cytherea, sonabat
omne nemus gradiente dea. Iam bellica uirgo,
aegide deposita atque assuetum casside crinem
inuolui tunc compta tamen pacemque serenis
condiscens oculis, ibat lucoque ferebat
praedicto sacrae uestigia concita plantae.
Parte alia intrabat iussis Saturnia siluis,
iudicium Phrygis et fastus pastoris et Iden
post fratris latura toros. Postrema nitenti
affulsit uultu ridens Venus. Omnia circa
et nemora et penitus frondosis rupibus antra
spirantem sacro traxerunt uertice odorem.
Nec iudex sedisse ualet ; fessique nitoris
luce cadunt oculi, ac metuit dubitasse uideri.
Sed uictae fera bella deae uexere per aequor,

atque excisa suo pariter cum iudice Troia.]
Tum pius Aeneas, terris iactatus et undis,
Dardanios Itala posuit tellure penates.
Dum cete ponto innabunt, dum sidera caelo
lucebunt, dum sol Indo se litore tollet,
hic regna et nullae regnis per saecula metae.
At uos, o natae, currit dum immobile filum,
Hadriaci fugite infaustas Sasonis¹ harenas.
Sanguineis tumidus ponto miscebitur undis
Aufidus et rubros impellet in aequora fluctus ;
damnatoque deum quondam per carmina campo
Aetolae² rursus Teucris pugnabitis umbrae.
Punica Romuleos quatient mox spicula muros,
multaque Hasdrubalis fulgebit strage Metaurus.
Hinc ille in furto genitus³ patruisque piabit
idem ultor patrisque necem ; tum litus Elissae
implebit flammis auelletque Itala Poenum
uiscera torrentem et propriis superabit in oris.
Huic Carthago armis, huic Africa nomine cedit.
Hic dabit ex sese, qui tertia bella fatiget
et cinerem Libyae ferat in Capitolia uictor. »

Silius Italicus

¹ Sason, Aufidus : annonce de la bataille de Cannes (216 av. J.-C.), où Hannibal écrasa l'armée romaine.

² Aetolae umbrae : allusion à Diomède, roi d'Étolie, qui se serait installé dans la région de Cannes.

³ Scipion l'Africain, réputé fils de Jupiter, vainqueur de la deuxième guerre punique dans laquelle son père et son oncle moururent tous deux en 211 av. J.-C. en Hispanie. Son petit-fils (par adoption) est Scipion Émilien, vainqueur de la troisième guerre punique et destructeur de Carthage.